

credatur, vide cujus te culpa reum facias, si velle negotij
quod dicebam, vel ab ipsa morte (quae procul sit) interrum-
pi te sinas in viâ verissimae veritatis. Vale, et si me
amas, posteros quoque, quorum causam ago, et qui te
praesente non fruuntur, amare te, dum potes doce. Scribe
inter mille turbas atque auocamenta, in praetoriâ Prin-
cipis ad Vornam Insulam 5. Cal. Sept: 1640.

Smithio.

Ampl. ac doct. Smithi. (290)
De Neomago tuâ, vel jam nostrâ, quid sentiam, soluto
nuper sermone prolocutus, carmine nunc autorem ipsum
aggredior, quando mihi in re seriâ ludendi et audaciam
humanitas tua dedit, et impetum Epigramma Lepidissi-
mum, quo et mei praeter meritum nuper meminisse
voluisti. Ignosce rudi metro, quippe inter non
armorum modè, sed Aula quoque et muneris mei
perpetuas turbas nato. Si quid venia in antecessum
das, reliquum cominus et propediem, si Deus volet, ex-
torquebo. Discedimus enim ex continente, atque ut
Civili tuis, per oppidi Batavorum cineres in Insulam
concedemus, saluâ Neomago tamen et incolis, nequid
sinistri augureris. Vale Vir Amplissime et amicus
Tuus.
Graue 22. Sept: 1640.

Quadrimum est, et quod excussit
cum ad mirabilem Puellam Schuormanam
Epigramma misi, quod huic adieci, eò quod
non absenti argumenti videretur, ac tum
temporis, nescio quam aequo vel iniquo plausu
a Literatis amici exceptum fuit. Unde et
memoria obhasit, lubrica aliacivis, et
nostrarum ineptiarum quantum par est
negligenti.

Smithio.

(291).
Suspicias et praevideo, Smithi amplissime, tantillum otij
nobis in oppido Batavorum ~~sub~~ non iri datum, ut
vel ex itinere te salutem. Statuit enim Princeps,
cum diluculo hinc discessurus grandium Arnhemii
sumeres. liceat itaque hoc officii, scripto implere,
et si me amas, crede vim invito fieri, quoties
Neomagum